

Cur tam paucis discipulorum frangi proventus?

Antiqua Bibliotheca
Scholae

F. N. 174.
69

Hg
237

X 2316832

J. N. J. C. C.

VIROS

DEBITO HONORIS CVLTV VSPICIENDOS,
TITVLISQVE SVIS MACTANDOS,

SCHOLAE INSPECTORES,

ET QVOS PRAETER HOS

TEMPLVM, CVRIA, TOTAQVE VRBS NOSTRA

DOCTOS LITTERISQVE BONIS
FAVENTES

HABET,

VT

ORATIONES,

QVAS

IUVENES DVO VERA PROBITATIS ET DOCTRINAE
LAVDE PRAESTANTES

JOHANNES GEORGIVS WAGNERVS,
CHEMNICENSIS,

AC

DANIEL THOMASIVS,

FLOEHA MISNICVS,

DVM

HONOESTE E SCHOLA DISCEDVNT,

DIE XIX. MAII

HORA AVDITA DECIMA,
RECITABVNT,

AVSCVLTARE BENEVOLE VELINT,
DECENTER ATQVE PERAMANTER

ROGITAT

M. Daniel Müllerus,

Rector Schol. Chemnic.

CHEMNICII,

Litteris Stöffelianis, MDCCXXXIV.





On omnes, qui scholae sunt concrediti, adolefcentes atque iuvenes iuueniliter ferociunt, neque frenum mordent omnes. Sunt, quae Dei est gratia, qui ad summi huius rerum arbitri cognitionem salutarem sanctioremque eius cultum perducere se patiuntur; atque ita aeratam degunt, ut nullis cum iisdem opus sit expostulationibus: qua re ductoribus ipsorum non ulla potest esse laetior atque iucundior. In catenatis enim laboribus, in mille, quae deorandae sunt, molestiis nil animos eorum reficit atque confirmat magis, quam si habent inter discipulos suos, qui, praeter doctrinam, pietate vera imbui pectora sua sinunt, quique feliciter adolefcunt, & eam sui expectationem concitant, ut, fore eos bonos, Deo gratos, hominibusque aliis utiles viros, confidere queant. Gentium ille Doctor, *Paulus*, cum mentionem doctorum falsiloquorum, in litteris, quas emendicare consueuerant, commendatiitiis spem collocantium suam, fecisset, ad Corinthios, quos, gratia diuina adiutus, e tenebris Cimmeriis ad veram lucem protraxerat, ita (a) scribit: *Ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμῖς ἐστε, ἐγγυερσαμένη ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν* (b): quibus verbis testatur, sibi litteris commendatiitiis opus non esse: cum ipsi Corinthii viua quasi sint epistola testesque, quanta fide Christi doctrinam apud ipsos palam docuerit. Simili ferme ratione fidei scholarum magistris non commendari cuiquam litteris desiderant, hoc uno contenti, si prodire e disciplina sua identidem aliquos cernunt, qui, cursu scholastico pie ac diligenter exacto, ad id unice incumbunt, ut, quasi faces, in aliis accendere fidem ac pietatem, atque egregium publicum amplificare aliquando possint. Hi ipsis sunt solatio; his, veluti hortulanus floribus, quorum curam gessit sedulam, si laetius cernit eos efflorescere, laetantur, certissima spe freti, se ipsos quoque, in luperis illis sedibus, socios in Deo collaudando esse habituros. Hoc ipsum *de Pari Iuuenum eximio*, quod iam e sinu nostro dimittimus, Iuuenum inquam, qui frugi apud nos, pietatisque ac litterarum indefessi cultores fuerunt, sentimus, hoc speramus. Hic audio, nescio quem, in aures meas insuffurrantem: Cur vero tam parcus est discipulorum frugi prouentus? Cur tanta bonorum est paucitas? Cur plerique, quasi equi remissis habenis, in omne ruunt nefas? Subolet mihi, quid iniquiores hi censores, qui ad vitia, quae ubique locorum obtinent, caligant, scholasticos ex orbita defestentes statim vident, dictum velint. Culpam scilicet omnis peruersitatis, quae in aliquibus confpicitur, non tam in auctores male sanos, quam in praeceptores scholamque ipsam congerunt. Praeceptoribus probum obiciunt, nimiam esse ipsorum indulgentiam: facere eos suis omnium fere delictorum gratiam, ut ita malitia non possit non altiores indices agere radices. In nos, inquirunt, cum aetate essemus tenera, ita ob erratum non graue fuit animaduersum, utloris caederemur, verberibusque afficeremur bene multis: iam iuuentus verbera sentit pene nulla, magistris scholarum feueritatem non adhibentibus. Jam quidem etiam illis, qui demandato officio ita fungi sibi proposuerunt, ut reddere summo iudici aliquando rationem queant, obtingere posse non nego, ut vel plus vel minus iusto faciant. Quilibet enim cum *Carolo V.* confiteri necesse habet: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*. Interim, re nondum satis perspecta cognitaque, viris religiosis parcius obicienda haec erant. Si qui non sunt ipsimet vitiorum mancipia, vitia in commissis fidei suae non tanquam stipites intuentur. *Obuiam eunt* (liceat hic uti verbis (c) *Christophori Cellarii*, Viri, cum viueret status scholastici scientissimi) *castigant, emendant, quantum fieri potest: virtutem laudant, commendant, praecipunt: vitiorum ostendunt deformitatem, turpitudinem, & nihil praetermittunt, quod ad sanctitatem morum tum imprimendam, tum confirmandam ac conseruandam pertinere potest*. Adde ego, praeceptorem, qui, quale sibi commissum sit depositum, non nescit, non verbis tantum asperioribus, sed, pro re nata, verberibus etiam suis parendi incutere necessitatem. At singulis momentis baculo latera ipsorum ita contundere, ut occalleant plagis, hoc sibi ne concessum quidem esse existimant. Fecit hoc verus ille Grammaticus, *Orbilius Popillus*, Horatii Praeceptor, qui *Suetonio* teste (d), *naturae acerbae fuit in discipulos*, ob nimiam durtitiam *plagosus ab Horatio* (e) dictus, atque apud omnem posteritatem male audiens. At imitari hunc trucem Orbilius non licet, si audias viros prudentiores: ex quibus *Gothofredum Vockerodt* citare hic liceat, *Istam*, inquentem (f), *Orbilioium recordiam, & cadendi oburgandique insaniam damnarunt gentiles, & diuini luminis experts antiquitas, tanquam rectae etiam rationi contrariam*. Evoluamus aliquos ex illis, quos in mente habuit *Vockerodt*, & primum quidem *Quintilianum*, cuius haec sunt verba (g):

(a) 2. Cor. III, 2. 3. (b) i. e. epistola nostra (commendatiitiis) vos estis, scripta in cordibus nostris. Vide Crauseri Phosph. N. T. Observ. 102. p. 209. (c) Habet ea Programmate XXIV. p. 239. (d) Lib. III de Illust. Grammat. c. 9. (e) Lib. II. Epist. I. (f) in Consultationibus de Litterarum studiis, Consult. XX. quae agit de disciplina scholastica. (g) Lib. I. Instit. Orat. c. 3. p. m. 42.

Caedi discentes, quanquam receptum sit, & Chryppus non improbet, non velim: primum quia deforme & servile est, & certe, quod convenit, si aetate n. mutes, iniuria: deinde, quod, si cui esse mens tam illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quaeque mancipia, durabitur. Trahi etiam commode ad disciplinam scholasticam potest, quod Cicero praecipit (h), ut scilicet, si obiurgationes etiam incidant nonnunquam necessarias, in quibus utendum sit fortasse & vocis contentione maiore, & verborum gravitate acriore, id agamus, ut ne ea facere videamur irati; sed, ut ad urendum & secandum, sic & ad hoc genus castigandi raro inuitique veniamus, nec unquam, nisi necessario, si nulla reperitur alia medicina. Si quis scriptores hosce divini luminis expertes minus turo tanquam duces sequi nos posse arbitretur; huic, legum & divinarum & humanarum peritissimos idem sentire, respondeo. Vnicum horum, Hugonem Donelum, qui Auarici Biturigum, Heidelbergae, Lugduni Bataurorum, postremo Altdorfii ius docuit (u), testem profero: qui, dum verbis *Vlpiani*, quibus *docenti castigationem concessam esse* affirmat (k), explicationem suam addit, enucleate vult (l), ut sit animadversio illa non acerba & atrox; sed qualis esse solet patris in liberis, non ad vindictam, sed ad emendationem, pietatis lenitate conditam. Ad antiquos coetus sanctiorum doctores, qui venerabile Parrum nomen iure suo obtinuerunt, si conuertimur, Hieronymum ita scribentem (m) reperimus: *Nihil foedius est praecceptore furioso, qui, cum debeat esse mansuetus, est diversus, toruo vultu, trementibus labiis, & effrenatis conciviis, clamore perstrapat, errantes non tam ad bonum retrahit, quam ad malum sua conciviis praecipit*. E doctoribus, qui sancta Lutheri praeserunt velligia, B. Balduinus, dum Pauli monitum parentibus datum (n), *μη ἐρεθίζετε τὰ τέκνα υἱῶν* (o) exponit, *Observandum est*, inquit, *hoc praecceptum Apostolicum non tantum parentibus, sed etiam praecceptoribus, Quemadmodum enim iuventus saepe nimia lenitate corrumpitur: ita fieri id potest etiam asperitate & duritie immoderata*. Digna sunt, quae hic repetantur, infrequentia Balduini verba; sed ex adductis, credo, satis clucescit, scholae praecceptorum suae suorumque salutis quidem studioso, ab immoderatione vero Orbili abhorrenti nontribuendum esse, si qui ex discipulis limites a Deo pariter & hominibus praescriptos transiit, & licentius quid audent. Sicuti nec Princeps saevus dominatione impotente bonos civis, nec maritus, qui leonina est feritate in aedibus suis, furore suo omni, sanctam efficit familiam: ita in schola tyrannica (p) timidiore quidem & in peccando cautiore, at non facile vere pios, non facile doctos (q) reperies discipulos. Haec de macula, quae praecceptoribus, ob mores discipulorum minus probatos, adspersi solet: nunc ad ipsas transendum est scholas, in quarum tam promiscua multitudine corruptionis periculum vix esse evitandum, ad raum usque clamitant nonnulli. Nonnulli scholarum cum superiorum tum inferiorum naevos usque adeo exaggerant, ut eas ad studium sapientiae neque necessarias neque utiles dicant, numque, providos parentes iis suos committere formandos, consultum sit, addubitent (r). Verum uti cordatus quilibet ingemiscit, naevos, qui in hac rerum humanarum imbecillitate scholis adhaerent, secum perpendens: ita eorum, qui scholas adeunt, vitia non scholis esse adscribenda, fateri simul necesse ducit. Vitiosiores sane atque irreligiosiores sunt, qui vel per breve tantummodo tempus, vel nunquam scholae subfelia premunt. Vade ergo hic improbitas? Infitus nimirum atque innatus est omnibus mali amor: unde iuventus ad illud fatis proclivis & ingeniosa non habet, cur labem suam, qua permota cedit affectibus, atque a recta non minus ratione, quam verbo divino deflectit, scholae affricet. De iuventute ad vitia varia per se quam maxime propensa, exposuerunt multi multa, *Scipio Claramontius* (s), *Io. Barclaus* (t) & alii, quibus praeciue veteres Auctores. Quae de imberbis iuvenis moribus canit (u) *Venusinus* olor, notiora sunt, quam ut hic repetenda esse videantur. Neque etiam doctioribus obscura esse accurata illa iuvenilis inclinationis imago potest, quae in *Aristotele* (x) exrat, hoc loco praetermittenda propterea, quod paginae angustia capere illam non valet. Satis abundeque dicere me censeo, si uno quasi fascerem complexus breviter dixero, esse iuveniles animos plerumque ambitioni deditos, impatientes iugi, volupratum amantes, ad excaecescendum pronos, inconsideratos minimeque cautos, & caecum magis imperum, quam rationem sequi. Haec sunt illae iuveniles cu-

(h) Lib. I. de Offic. c. 38. edit. Graev. Conferatur & Seneca, Lib. I. de Ira, c. 5. (i) teste Io. Henr. Doelero de Rebus saeculi post C. N. XVI. p. 765. (k) l. 5. ad leg. Aquil. (l) Comment. in C. L. IX. p. 1106. (m) Allegat hoc Hieronymi dictum Ahaferus Frischb. Vir. de quo dubites, meliorem Jurisconsultum, an Theologum fuerit, in Praecceptore peccante, c. XII. p. 161. (n) Coloss. III. 21. quem locum egregie illustrat Crauserus in Phosphoro N. T. Obs. 705. p. 805. seqq. (o) i. e. ne prouocare ad iram liberos vestros. (p) ita appellari potest schola. in qua furit Orbilius, nomine sumpto *ἀπὸ τῆς ὀργῆς τρυφῶν τῶν*, Act. XIX. 9; quae qualis fuerit, explicat M. Io. Bernardus Poeltzer, Vid. Nov. Litter. Germ. 1705. p. 394. (q) Tres scholae fines esse, pietatem, eruditionem norumque elegantiam in peculiari Oratione ostendit C. A. Heumannus: nullum horum consequitur Orbilius. (r) vid. Obs. Sel. ad Rem Litr. Speß. Tom. I. p. 111. seq. it. p. 150. (s) L. II. de Coniectandis cuiusque moribus, c. 10. p. 149. seqq. (t) in Icone Animor. c. 1. p. 37. (u) de Art. Poët. v. 161. seqq. (x) Lib. II. Rhet. c. 12. p. m. 671. seqq.

FK
119
237

piditates, ad quarum fugam diuinus ille *Paulus* Timotheum, hominem tunc non adeo multorum annorum, excitat, dum ita (y) eum appellat: *Τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας* (z). Equidem minime sum ignarus, Virum omni eruditionis genere illustrem, *Claudium Salmasium* (quem alii nonnulli sunt secuti) interpretari (aa) *νεωτερικὰς ἐπιθυμίας*, non iuueniles, sed nouas uel nouarum rerum cupiditates, seu nouandi studium, in rebus diuinis maxime nocens. Verum intellexisse Scriptorem sanctum eiusmodi affectus, quibus prae ceteris hominibus abripi solent iuuenes, *νεανίας ἐπιθυμίας*, ueluti *Aristoteles* nominauit (bb), atque sic uoluisset admonitione sua permoerere Timotheum, ut esset iuuenis *τὸν νεωτερικὸν ἐπιθυμῶν ἐπερὶ τὰς νενομίους* (cc), inuictis probauit (dd) argumentis *Io. Andreas Bostius*. Quod si igitur ipsa actas, quam schola format, in se virtutum prauorum, a quibus saepius nulla se retrahi ratione patitur, semen habet: cur a schola, & qui in ea est, conditepalutur istud accerimus? Recordor ego, aliquoties uenisse aliunde ad me Patres cum filiis, quos plenis laudarunt buccis, miro eos pie uitae, miro studiorum flagrasse domi amore, atque uel ad nutum magistrorum fuisse inrentos, liberaliter dicentes. Cum uero uix per unum alterumque diem coeui interfuissent nostro, quo tempore, ignoti quippe omnibus, deprauari potuerunt a nemine; se ipsos, instar fornicis, prodiderunt, & quales domi fuerint, monstrarunt. Quoniam uero iure contubernio scholastico attribui sic potuit animi deprauatio? Nempe uitia haec non raro in scholam potius adferuntur, quam in ea enascuntur. Perpulchra sunt hac de re uerba *Cellarii* superius laudati, *Nunquam, inquitentis (ee) probauerit quisquam, adolescentulos in scholis corrumpi potius, quam domi & priuatis angulis; cum non crediderim facile, tam sanctam alicuius & bene ordinatam domum esse, ut plura uirtutis praecepta, plura honestatis exempla audiant & uideant tenellae mentes, quam quotidie in schola & ludo proponuntur. Sit sancta materfamilias, sit integer pater: num seruuli etiam tales erunt, num ancillae, quibus cum maiorem partem uersandum est filiisfamilias?* In pauca, quae dicta sunt, conferram: Quemadmodum iniquius iudicari arbitror, si uel praeceptores, uel schola ipsa, ob effrenes quosdam & durae ceruicis discipulos, in ius uocantur: ita in coetu uitae prauae homines, qui rectam ad uiam reducti statim iterum declinant, reperiri, non sine magno animi dolore confiteor. Sed mitigat hunc dolorem aliorum, bonorum nempe, recti tenacium diligentiumque, quos educasse scholam pudere minime potest, recordatio. Horum numerum augent nunc Iuuenes illi duo, qui in eo sunt, ut, Musis nostris relictis, Lipsiensibus se aggregent. Primus horum est

Iohannes Georgius Wagnerus,

quem Chemnicium, patria, nunquam uidit improbum. Obsequendo parentibus, & magistris, quibus ab aerate tenella adhaesit, morem gerendo, se a Dei summi praeceptis neuitquam esse alienum, offendit. Dulcedine litterarum ita captus est, ut nulla ab iis diuelli poterit ratione. Hinc promptus frequensque in scholam itauit; & industria iugi id effecit, ut in linguis atque artibus profectus consequeretur patentiore digno campo, in quo, praecipue si tenuiori conditioni subueniant benigne Patroni, pulchre, quod certo spero, procurret, metamque propositam ex oculis non dimittit. Quam bene tempus collocauerit, de *curribus falcatis ueterum*, latina, de *curribus triumphatibus*, graeca oratione monstrabit, atque *carmine latino Epico* ualere nos iubebit. Secundus,

Daniel Thomafius,

ea similiter, quae inesse in probo ac diligente discipulo debent, nunquam non obseruauit. Pietatem uirtutum reginam semper sectatus est, eaque nos, quibus instituendus fuit traditus, audiuit constantia, ut de eo conquerendi non ulla nobis fuerit causa. Voluptatis, quam in deliciis habent non pauci, loco, se totum in litteras abdedit, eaque exitit industria, ut nec in Orationibus, nec in carminibus terse satis scribendis unquam defatigaretur. Ex quo, si, quo pede coepit, perget, (perrecturum autem nullus dubito) admodum Reuerendum Parentem largam gaudii legetem materiamque per eum habiturum esse, non uanus diuino. Non sine fructu eum apud nos fuisse, oratio latina, de *Jacobo Thomasio*, graeca, de *Christiano Thomasio*, & *carmen germ.* quo lausla nobis precabitur, declarabit. Par hoc bonum bonis piisque uotis comitabitur Iuuenis recta uia laudabiliter incedens

Carolus Gottlob Hausius, Durrweitsch. Misnicus,

si, quae uis nominibus non insit, quae contra insit, orat. lat. ostenderit. Vos, Patroni ac Fautores, quo crebrius inuito, eo maiore rogo studio, ut Pari Iuuenum commendabili praefectiam Vestram honorificam non negatis, & gratiae huius eos non immemores fore, treditis.

(y) 2. Tim. II, 22. (z) fuge iuueniles cupiditates. (aa) in Apparatu ad Libros de Primatu Papae. (bb) Lib. VII. Ethic. Nic. c. 4. (cc) quod elogium datum est ab Eusebio iuueni martyri in Hist. Eccl. L. VIII, p. 332, edic. Valef. (dd) in Exerc. Philol. in 2. Tim. II, 22. (ee) loc. cit. p. 218.

Cur tam parvus disceptationum fructus proventus?

contra C. A. N. L. S. K. Schol. Chemnic.

F. N. 174.
69

II g
237

X 2316832

J. N. J. C. C.

VIROS

DEBITO HONORIS CVLTV SVSPICIENDOS,
TITVLISQVE SVIS MACTANDOS,

SCHOLAE INSPECTORES,

ET QVOS PRAETER HOS

TEMPLVM, CVRIA, TOTAQVE VRBS NOSTRA

DOCTOS LITTERISQVE BONIS

FAVENTES

HABET,

VT

ORATIONES,

QVAS

IUVENES DVO VERA PROBITATIS ET DOCTRINAE

LAVDE PRAESTANTES

JOHANNES GEORGIUS WAGNERVS,

CHEMNICENSIS,

AC

DANIEL THOMASIVS,

FLOEHA MISNICVS,

DVM

HONOESTE E SCHOLA DISCEDVNT,

DIE XIX. MAII

HORA AVDITA DECIMA,

RECITAVNT,

AVSCVLTARE BENEVOLE VELINT,


DECENTER ATQVE PERAMANTER

ROGITAT

M. Daniel Müllerus,

Refor Schol. Chemnic.

CHEMNICII,



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

